

I. N. 2

DISSERTATIO GRADUALIS,
OSTENSURA:

LEGEM NATURALEM ESSE INDISPENSABILEM,

QUAM,

SUFFRAG. AMPL. SENAT. PHIL. REG. ACAD. ABOËNS.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE BILMARK,

HIST. ET PHIL. FRAGT. PROF. REG. ET ORD.

Publice ventilandam sifit

LAURENTIUS JOH. HALLMAN,

NERICIA-SUECUS.

IN AUDITORIO SUPERIORI DIE XXXI. MAJ.

ANNI MDCCLXIX.

H. A. M. C.

ABOÆ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



A MADAME
BRIGITE MARIE
D' ODELSTRÖM,
NEE BARONNE DE FEIF.
MADAME,

KANSALLIS-
KIRJASTO

Rien au monde ne sauroit m' être plus agréable & me causer plus de joie que l' occasion, quē me procure ce petit essai Academique, que je vais soutenir publiquement, de pouvoir Vous renouveler les assurances de ma respectueuse soumission. Il est certain, que ces sentimens pour Vous, MADAME, & pour tous ceux, qui Vous interessent, surpassent infiniment par leur sincérité les foibles expressions de ma plume. Dès ma plus tendre enfance, & sur tout pendant le tems que j'ai eû l' honneur de séjourner dans Votre illustre maison, Vous m' avez comblé de toutes sortes de bienfaits, & j'en suis si penetré, que je me croirois le plus heureux de tous les hommes, si je Vous en pouvois marquer ma très-humble reconnaissance. En attendant l' occasion si désirée permettez moi, MADAME, que j'avoue publiquement, que je Vous ai mille obligations, particulièrement si Vous daignez recevoir avec un oeil favorable l' ouvrage que je prends la liberté de Vous offrir. Je ne cesserai jamais de prier le Tout-Puissant, qu'il veuille repandre sur Vous les prosperités les plus durables! J'ai l' honneur d'être avec la plus profonde vénération,

MADAME
VOTRE

très-humble & très obeissant
serviteur
LAURENT JEAN HALLMAN.

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE OCH MAJOR
SAMT
RIDDARE AF KONGL. MAJ:TS SVÅRDS ORDEN,

VÄLBORNE

H.R. FRANTZ HINRICH VON KNORRING.

Den stora gunst och de många välgärningar, hvar-
med VÄLBORNE HERR MAJOREN och RIDDAREN
mig öfverhopat under den tid, jag haft åran at
handleda Dels välatade Herrar Söner, försätta mig uti
större skuld, än at jag densamma någonsin förmår mig
afbörda. Icke desto mindre öfvertygad, at VÄLBORNE
HERR MAJORENS och RIDDARENS ådla sinne hvarken fordrar
vedergällningar, eller försämrar de ringaste gåfvor, vågar
jag ödmjukalt anhålla, det VÄLBORNE HERR MAJOREN och
RIDDAREN Höggunstigt täcktes uptaga detta mitt andra
Academiska arbete, såsom et prof af mitt tacksamma
sinne och vördnadsfulla erkänsla. Jag tilstår gärna, at
detta är en ganska ringa gåfva; men lom denna är det
endaste medel, hvarigenom jag offentligen kan förkla-
ra den vördnad och högakning mitt hjerta emot VÄL-
BORNE HERR MAJOREN och RIDDAREN städse hyft, så tor-
de den blifva hedrad med et mildt ögnekaft. At All-
magten, alla välgärningars rika belönare, täcktes bekröna.
VÄLBORNE HERR MAJOREN och RIDDAREN samt Dels För-
nåma FAMILIE med allsköns välgång och fållhet, önskar
och med djupaste vördnad franhårdar

VÄLBORNE HERR MAJORENS och RIDDARENS

Ödmjukaste tjen. re
LARS JOH. HALLMAN.

VIRO Plurimum Reverendo atque Doctissimo,
Domino JOHANNI HALLMAN,
COMMUNISTRO in Lillkyrka & Oby Vigilantissimo;
PARENTI OPTIMO.

In memoriam mibi revocans tenerimam illam curam,
multaque beneficia, quibus Tu, PATER OPTIME, a cu-
nabulis inde ad hoc usque tempus me amplexus es, ea-
dem majora esse compereo, quam quae facultatibus tuis
respondeant, pluraque quam enumerare mea valeat in-
dustria. Quemadmodum igitur & nunc & olim fieri
nequeat, ut tot remunerem bona; ita nunquam gratis-
sima mibi deerit mens. Ceu pignus hujus alterum hoc-
ce opus meum Academicum submissa animi veneratione
TIBI offero. Levissimum quidem hoc est munus; sed
cum idem unicum sit, quo pietatem meam in TE, PA-
TER INDULGENTISSIME, immortalem testari potuerim, oro
atque obtestor, velis, quo eniines, paterno favore, hoc opus
chartaceum ceu documentum grati animi venerationis-
que mee adspicere. DEum Optimum Maximum calidis-
simis nunquam intermittam defatigare precibus, dignetur
TE, PATER OPTIME, una cum MATRE DILECTISSIMA
in amos bene multos salvum atque incolumem conservare,
ut omnes, quotquot TIBI post DEum debemus vitam, so-
latium habecamus laetissimum, exoptatissimum, & ut post-
quam TIBI nobisque satis PATER DILECTISSIME vixisti,
postremo choris angelicis intermixtus eas! Sic nullo non
tempore rorebit, ad cineres usque permanfurus

PARENTIS OPTIMI

filius obedientissimus
LAURENTIUS JOH. HALLMAN.



§. I.

Quamprimum D^{OM}INUM nominari audio, atque in hujus idæ consideratione acquiesco, sine anxia meditatione tam ex conscientia animæ interna, quam ex contemplatione rerum quarumvis circumstantium penitus convincor, quod non tantum Ens ejusmodi existat, quod a se ipso est & cui cætera quæcunque entia extra ipsum tuam debent existentiam nec non existentiæ continuationem seu conservationem, sed etiam, quod omnibus perfectioribus ita gaudeat, ut ne ullum quidem, quod possibile sit, desideret.

§. II.

DEUS igitur est Ens sapientissimum. Sapientia est scientia eligendi media, fini obtinendo aptissima, nec non fines ita sibi invicem subordinandi, ut propiores sint media remotiorum, omnes vero media finis ultimi. Quocirca quam DEUS sit ens perfectissimum.

simum, sequitur, quod illimitato etiam gaudeat intellectu, quo simultanee & adæquatissime res & actiones omnes cum harum consequentiis & nexus cum Gloriæ Divinæ manfestatione & hominum felicitate sibi repræsentat. Ergo etiam optime novit & vi omnipotentiæ suæ aptissime disponit media qualibet, ita ut fini ab ipso intento, qui a nostra præsumtione immane quantum sæpe discrepat, egregie inserviant.

§. III.

DEus vult omne bonum, & aversatur omne malum. Bonum nobis dicitur quicquid vel perfectionem entis vel finem propositum promovet atque huic obtinendo inservit. Quare quum DEus sit Ens perfectissimum §. I. adeoque Sapientissimum §. II. non potest non perspecta sibi habere singula media, quæ euilibet fini obtinendo conducunt; Ergo qualitatem rerum tam internam, quam in relatione ad alia entia consideratam sibi habet perspectissimam. Sed DEus est Ens maxime harmonicum, nec inter summas ejus perfectiones aliqua esse potest collisio, neandum pugna; Ergo quum voluntas sit actus, quo vel bonum cognitum quis appetit vel malum aversatur, sequitur, quod DEus velit omne bonum & aversetur omne malum. Immo patet, quod DEus velit bonum quocunque, pro mensura, qua illud bonum judicat intellectus, parique ratione aversetur malum. Quum enim tam in bonitate quam in pravitate actionum aliarumque rerum dentur gradus, ceu cui-

euilibet attento patet, atque in hac cognitione, quam distinctissimam possidet DEus, consistant voluntatis & aversationis Divinæ motiva, sequitur, quod voluntas DEi sit proportionata bonitati aut malitiæ rerum in intellectu illis adjudicatæ. Cave autem credas, quod quantitas quædam ita in DEum caderet; hæc enim tantummodo afficit ipsum objectum, non vero DEI voluntatem, quæ dum in majora bona magis, in minora minus propendet, plura in uno vult, ut plura, & pauciora in altero, ut pauciora.

§. IV.

Quoniam DEus vult omne bonum & aversatur omne malum § III. sequitur, quod DEus etiam velit actiones bonas & aversetur malas. Quocirca statim observamus, tum quod DEus ab æterno præviderit singulas actiones cum earum consequentijs, nec non ex harum relatione ad sanctitatem & ad alias ejus perfectiones, quæ primo, ut ita loquar, intuitu ipsi obvia erat, statim judicaverit utrum hæc vel illa actio fini ejus inserviret, vel non, utrum perfectionem entium a se creandorum promoveret aut impediret, adeoque talem actionem vel præceperit vel prohibuerit; tum quod DEus, utpote ipsa bonitas, adeoque studio flagrans intensissimo singulis entibus a se diversis omnes, quarum capacia sunt, perfectiones conferendi, non potuerit non hominibus regulas præscribere, quibus convenienter se gerere debent, si felicitatem tantopere desideratam consequi vellent. Quum vero regulæ ejusmodi nullius

Ius plane essent momenti, nisi homines casdem intelligent; ex utroque sequitur, tum quod Deus legem hominibus dederit, tum etiam quod eam promulgaverit. Hoc autem ita factum, ut animis nostris, quibus facultas dijudicandi ex sua natura competit, indiderit prima principia, quae normam actionum constituent, quibus debito modo excultis ad majorem perfectionem Divinarum & hinc porro ad pleniorum officiorum nostrorum cognitionem pervenimus. Legem igitur Naturalem definimus, quod sit præceptum Dei, quo sibi omnes homines obligat, ut ad ipsius voluntatem, quatenus ex consideratione attributorum Divinorum & naturæ humanæ per dictamen sanæ rationis innoteat, actiones suas componant. Hinc igitur patet, quod ratio nostra proprie loquendo non sit ipsa Lex Naturæ, sed potius medium, quo rite usurpato, illa cognoscitur. Quod adstruendo non veremur eorum censuram, qui nobis forte objicerent, quod homo ex nostra opinione bina habeat, ad quæ vitam instituat, præcepta, Jus scilicet Naturale & Rationem. Etenim ipsa Lex Naturalis absolvitur illis propositionibus, quas ratio ex consideratione attributorum Divinorum & naturæ humanæ colligit, adeoque ratio est tantum medium apprehendendi æternas hasce veritates, quemadmodum oculus est medium, quo eximum rerum in hoc mundo obviarum nexum, ordinem, mechanismum, & quæ sunt reliqua, percipimus. Sicut autem nostram Legis naturæ definitionem satis sibi constare arbitramur; ita definitionem Legis Naturæ

turæ a PUFENDORFIO adhibitam, qua statuit, Legem Naturalem esse, quæ cum rationali ac sociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honesta & pacifica societas citra eandem constare nequeat, minus probamus, quam quælibet fere Lex civilis ita sit comparata, ut citra eandem societas hominum tranquilla manere nequeat.

§. V.

Sicut autem non singulæ Leges, quæ in civitate feruntur, ejusdem sunt tenoris, sed quædam ad ipsam societatis constitutionem, aliæ vero ad majorem majoremque civium tranquillitatem & commoditatem pertinent; ita etiam in magna DEi civitate singulæ Leges Naturales, saltem nostro concipiendo modo, non ejusdem videntur necessitatis. Scilicet Leges Naturales tendunt ad perfectionem entium rationalium promovendam: sed in perfectione, quatenus eadem entibus finitis tribuitur, novimus varios dari gradus; adeoque necesse est, Leges etiam Naturales variam subire considerationem. Quamobrem etiam Eruditi diviserunt Leges modo dictas in *Fundamentales*, quarum præcepta immediate deducuntur ex consideratione attributorum Divinorum & quorum indubitatus est cum natura rationali nexus, & minus *fundamentales*, quarum magis elongata est cognatio cum principiis practicis, remotiorque nec adeo perceptibilis cum natura & felicitate humana nexus; ad quam classem spectant, quæ maximam partem sub ratione tutioris, æquio-

ris, melioris & probabilioris in officio cognoscuntur. Complexus harum Legum a WOLFIÓ dicitur Lex Perfectiva, quam definit, quod sit ea, quæ homines obligat ad id, quod est melius altero, eidem præferendum. Ex quibus definitionibus statim apparet, quod cum Legum Naturæ Fundamentalium major sit evidentia, & plura ac fortiora illam observandi motiva, quam in Lege perfectiva, illi quoque major, quam huic, competit obligandi vis. Præterea distinguere etiam solent Eruditi Leges Naturales in *Absolutas*, quæ cum natura & felicitate humana absolutum habent nexus, & proinde homines obligent in qua demumcunque conditione aut tempore vivant, & *Hypotheticas*, quæ respectum conditionis & temporis præcipue habent, nec eum ipsa natura & essentiali felicitate hominum absolutum produnt nexus. Quum igitur motiva observandi Leges Hypotheticas ab ejusmodi circumstantiis petantur, quæ mutationi sunt obnoxiae, sponte sua sequitur, earum obligandi vim esse mutabilem, cuius contraria est ratio Legum absolutarum.

§. VI.

Superest adhuc, ut de Legibus Divinis, Positivis communiter dictis, sententiam nostram quoque aperiamus; præsertim quum nonnulli dentur Eruditi, qui easdem ad Leges Naturales referant, alii autem easdem his contradistinguant. Hinc jam prius invaluit distinctio Legum Divinarum in *Naturales* & *Positivas*; quarum has ita definiunt, quod sint

sint illæ leges, quæ ab arbitrio ac voluntate Divina dependent, nec cum sociali hominis natura aliquem, saltem manifestum, habent nexus; quamobrem complexum harum Legum *Jus Divinum Voluntarium* nuncupavit GROTIUS. *Enimvero* quamvis Legis proprium sit *jubere, non suadere*, uti loquitur SENECA, attamen firmiter nobis est persuasum, quod Leges Divinæ Positivæ universales suas etiam habeant rationes objectivas, licet nobis vel penitus vel quoad partem impervestigabiles. DEus enim Ens perfectissimum & sapientissimum nihil velle potest absque ratione sufficiente; adeoque quum leges humano generi tulerit, sequitur, quod moralitatem actionum vel præceptarum vel prohibitarum jam ab æterno ex diversa actionum relatione ad attributa sua & naturam humanam perspexerit, atque hinc motiva Legum latarum sumiserit. Si enim Sapienti Legislatori humano conveniat, non alias præscribere leges, quam quas ipsa Majestas & felicitas ci-vium postulent, atque ita in eis ferendis sequi rationes objectivas; DEo etiam tanto magis convenit talis legislatio, quod aliam fingere nefas omnino foret. Quamobrem leges Positivas Divinas Universales definimus per propositiones obligatorias, ad omnes homines a que pertinentes, quarum tamen nexus cum natura hominis rationali intellectus noster plene non perspicit, sed ex Divina revelatione unice cognitas habet. Adeoque facile appareat, quod Leges Divinæ Naturales & Positivæ Universales essentialiter a se invicem non differant, sed quod præ-

cipum eorum discrimen consistat in innotescendi modo. Nec minor est obligatio has, quam illas observandi, siquidem mandatis. Ei, propter omnimodam nostram ab ipso dependentiam, absque ulla tergiversatione & operosa motivorum, nobis imperfervabilium, indagine morem gerere debeamus.

§. VII.

Evoluta jam natura Legum Divinarum, postulat instituti ratio, ut indolem *Dispensationis* Legum pariter expendamus. Est autem Dispensatio, declaratio Legislatoris, legem aliquo in casu non obligatram, quamvis casus ille revera sub lege Universali comprehendator. Unde *indispensabilis* dicitur illa Lex, contra quam nulla actio permitti potest, ne quidem ab ipso Superiore seu Legislatore. Quod si has notiones paullo attentius expendamus, facile apparet, quænam fuerit origo dispensationis Legum. Scilicet Legislator tulit legem quandam, quæ si probœ observetur, ex ipsius opinione semper & ubique ad robur civitatis & felicitatem subditorum plurimum conferet. Attamen re penitus perpensa & computatis rerum circumstantium momentis singulis, deprehendit, ipsam universalitatem Legis futuram felicitatis gravissimum impedimentum; quam obrem consultum ducit, hunc vel illum civem ab obligatione Legis eximere. Quum vero Legis auctoritati hac sua indulgentia, quamvis eandem expresserit necessitas, derogari animadvertat, certum est, quod Legis formulam alia ratione adaptasset, si ex

si ex priori cuncta, quæ evenerunt, perspicere pos-
visset. Ex quibus liquido apparet, quod dispensa-
tio proprie loquendo tantum conveniat Legislatori,
qui limitato gaudet intellectu. Immo quum Leges
humanæ ad felicitatem societatis civilis, tamquam ad
finem ultimum sint directæ, hic autem pro tempo-
rum aliarumque circumstantiarum ratione, non eo-
dem plane modo obtineatur; leges quoque civiles e-
runt mutabiles, non quidem respectu finis civitatis,
qui idem semper est & manet, sed respectu medio-
rum, quæ ad illum conducunt. Cujus mutationis
indicia quædam in Legibus Divinis Positivis, scilicet
Ceremonialibus atque Forensibus animadvertisimus, at-
tamen hæ leges tales fuerunt, quas DEus ex admiran-
da Oeconomia cum genere humano ad certum tan-
tummodo tempus observandas voluit, eisdem alias
substiturus, quum plenitudo temporis venisset. Ideo-
que hæ Leges, quæ ex sua natura erant aliquar-
do abrogandæ, etiam abrogatae sunt, mutato obje-
cto; nullo autem argumento vel exemplo constat,
quod dispensabiles fuerint, quamdiu vigere debu-
erunt.

§. VIII.

Ex his præmissis jam sequitur: *Legem Naturalem esse indispensabilem.* I:o Quoniam enim Legum Di-
spensatio limitatum solummodo prodit intellectum
& ab hoc ortum dicit §. VII. sequitur, quod Legi-
bus Divinis talis dispensatio minime conveniat, quip-
pe quum DEus jam ab æterno adæquatissime & in con-

finua præteriorum, præsentium ac futurorum serie
 præviderit singulas hominum actiones tam in se,
 quam circumstantiarum momentis gravidas, adeo-
 que quasdam actiones præceperit, alias autem pro-
 hibuerit. II:o Qvum dispensatio sit declaratio Le-
 gislatoris, qua significat legem aliquo in casu non
 obligaturam, quamvis casus ille revera lege com-
 prehendatur §. VII. Ergo si DEus contra Legem
 Naturalem, qua præcipit actiones, quas Sanctitati
 suæ & hominum felicitati convenire, perfectissime a-
 nimadvertisit, contrarias autem actiones prohibet,
 dispensaret, sequeretur ex lumine etjam rationis
 constare, quod DEus non semper offendatur, licet
 homines, officia sibi injuncta aliquando intermit-
 tant, tum etjam, quod tanta foret Numinis indul-
 gentia, ut nonnunquam jus concederet patrandi
 malas actiones; quum vero neutrum horum per
 sanctitatem voluntatis suæ facere possit, sequitur
 denuo Legem Naturæ esse indispensabilem. III:o
 Nec ceteris, quas in DEo admiramus, summis per-
 fectionibus magis convenit Dispensatio Legis. Non
 justitiae: quippe cui derogaretur, si quidquam de
 perfectissimo suo jure remitteret, quod vero face-
 ret, si contra legem a se latam dispensaret. Non
 infinitæ DEi bonitati: Sicut enim DEus ex summa
Caritas Legem Naturalem tulit, cuius observan-
 tia homines honestam ac pacificam degere possunt
 vitam, ita si contra hanc legem suam dispensaret,
 simul ostenderet, se parum curare generis nostri fe-
 licitatem. Denique quum dispensatio imprimis con-
 cedi

cedi soleat propter antegressa eademque eximia merita, igitur, si Deus dispensaret contra legem suam, homines suis operibus possent sibi devincire gratiam Numinis, seu quod eodem recidit, ipsi Deo, saltem certo respectu, forent necessarii, adeoque ab ipso non penitus dependerent; quod quam ~~arrer~~ sit, tam ratio animadvertisit, quam Scriptura Sacra dilucide ostendit. IV:o Si Lex Naturalis sit dispensabilis, aut ejusmodi dispensatio facta est in gratiam totius generis humani, aut quorundam solummodo hominum. Si prius: quædam saltem præcepta Legis Naturalis sunt abrogata, quum ad illorum observantiam non obstringantur cives in macrocosmo. Si posterius: hæc venia procul dubio concessa esset dilectis Dei hominibus, qui sic virtutum cultura jus sibi acquisivissent, quædam vitia impune patrandi. Sed quum utrumque adserendum implicet, sequitur Legem Naturalem esse indispensabilem.

§. IX.

Enimvero dicat forte quispiam: Voluntas DEi est liberrima: Ergo indifferens ad opposita: Ergo potest aliter esse: Ergo est mutabilis, Ergo quum voluntas DEi per rationem nobis patefacta sit Lex Naturæ, hæc quoque Lex est indispensabilis. Sed quæ heic cumulantur propositiones, non singulæ promiscue admitti possunt. Libertas enim non tam consistit in indifferenta quadam ad opposita, quam potius in facultate ex pluribus possilibus illud eligendi, quod optimum censemur. Si enim priorem quis

quis admitteret definitionem, simul quoque admittat necesse est, quod DEus ad bona & mala se se indifferenter habeat, adeoque salvis summis perfectionibus seipsum quandoque abnegare possit; quod quam sit absurdum, ingenuus quilibet sponte sua animadvertisit. Sed DEus est ens liberrimum, quatenus id, quod optimum cognoscit, eligit, facit ac promovet. Ex nostra igitur libertatis idea non limites quidam libertati Divinæ, sed tantummodo perversæ multorum opinioni de genuina libertatis indole ponuntur, quippe qui eandem tunc demum adesse statuant, si in abusum quoque impune vergat. Deinde distingvere solent Philosophi inter libertatem exercitii & specificationis. Illa est, quum agens ad ipsum actum se solum determinat, quum etiam potuisse non agere seu actum suspendere. Hæc autem in mera negatione haud acquiescit, verum se se extendit ad oppositum. Est igitur libertas volendi aliquid, & simul ejus oppositum. Jam si libertatem Physice solummodo consideremus negari nequit, quin DEus per potentiam suam possit facere actionem & simul ejus oppositam, sed si eandem libertatem moraliter spectemus, DEus est Ens liberrimum & tamen id solum agit, quod Sanctitati suæ conveniat. Nec ita tamen constringitur ejus libertas, quemadmodum dici non potest libertatem Philosophi esse adstrictam, si proprietates quasdam figurarum demonstret, simulque ostenderet nequeat, diversa symptomata eisdem competere.

§. X.

Quamvis intra gyrum jam definitum nostra qualiscunque opera absque gravi censura terminari posset; juvat tamen adhuc unicam addere propositionem, ex principiis allatis facile demonstrandam. Contendimus igitur, quod *Leges Divinæ Positivæ nec dispensationem ullam admittant*. Quum enim Legum Divinarum Positivarum dentur omnino rationes objectivæ, quæ fundantur in attributis Divinis & nostra felicitate, quamvis nos homunciones, quæ nostri est ingenii imbecillitas, easdem plene adsequi nequeamus §. VI; sequitur quod quamdiu objectum idem maneat, harum etiam Legum fundamentum sit immutabile; quamnobrem nec DEus, salvis summis perfectionibus suis, contra has Leges dispensare potest; alioquin sequeretur, quod Supremum Numen aliquando a se ipso dissentiret. Immo si vel maxime demus, quod Leges Positivæ sint, quæ tantum dependent a beneplacito Divino; attamen quum cœli terraque Monarcha non delectetur nisi bonis operibus, ne quidem ex ista definitione confici potest, Leges Positivas esse dispensabiles; siquidem Ens perfectissimum sibi ipsi contrarium nullo modo esse possit.

§. XI.

Enimvero satis animadvertisimus, Eruditos opido paucos hanc Philosophiam æquis animis fore excepturos, præsertim quum in Scriptura Sacra varias

rias observaverint Leges, ad classem Legum Positivarum ad minimum referendas, quas tamen dispensabiles esse simul se observasse credunt & aliis persuadere nituntur. Immo dum nonnulli ostendere conantur, Leges ipsas Naturales esse dispensabiles, alii, qui meliora sapere sibi videntur, eis obviam ituri, has leges ad Positivas referunt, quas subinde dispensabiles esse firmiter contendunt. Enimvero pedetentim procedamus, mittamus auctoritates, simplicem veritatem adsequi studeamus, nec sensum Scripturaræ Sacræ inferamus, sed verum ex eadem rite intellexa eruere conemur. Dic igitur, fodes, ubinam in iacris pandectis DEUS, Legum tam Naturalium quam Positivarum Auctor, declaraverit, quod hunc vel illum hominem ab observantia Legum suarum exemerit. Quod si talis nulla existat declaratio, necesse quoque est, nullam Legum Divinarum factam esse dispensationem. Sed dicunt forte, quod permissio mali æquipolleat declarationi a nobis requisitæ, præsertim quum DEus nullam certam statuerit poenam, quorundam præceptorum Legis suæ transgressoribus, immo ne quidem minatus sit, se ipsos fore puniturum. Sed ne heic confundamus non confundenda, statim observamus, quod aliud sit permissio mali, aliud autem dispensatio Legis. Quum homo sit Ens liberum, quod libertate sua & uti & abuti potest, DEus, quæ ipsius est *manegium*, permittit hominibus mala committere, sed tamen ipsos a rigore Legis suæ non eximit, verum pro meritas ipsis immittit poenas, nisi poenitentiam egerint

rint. Hic autem actus quam sit diversus a dispensatione quilibet animadvertisit: in priore enim differtur tantum poena, sed in posteriori penitus tollitur. Immo si Leges Divinæ essent dispensabiles, quid opus fuisset, ut DEUS Filium Suum unigenitum in mortem pro salvando genere humano traduceret; aut si quis hominum exceptus sit a Lege, quomodo Scriptura Sacra adserere potest, quod omnes sint conclusi sub peccatum, Rom. XI: 32. Gal. III: 22?

Sed ut heic subsistamus, rerum nostrarum habitus postulat. Cæterum an Iliada tantum post HOMERUM cecinerimus, an vero ad illustrationem gravissimi argumenti symbolam quandam contulerimus, aliorum esto judicium. Quicquid sit, putamus nos ad veritatis amissim nostras meditationes exegisse, ad rationis trutinam expendisse. Tu vero B. L. pro ea, quæ Te exornat, ingenii vi atque æquanimitate, innoxios hosce conatus benigno adspice, &

*Si quid nosti rectius istis
Candidus imperti, si non, bis utere mecum.*

TANTUM



MONSIEUR.

L' Amitié, qui est entre nous, & l' obligation, que je Vous ai du soin, qu'il Vous a plu de prendre de mes études, ne me permettent pas de laisser passer cette occasion, sans Vous marquer la part sensible, que je prends à l'honneur, que Vous allez Vous acquerir. Je ne m'engage point à faire Vos éloges, sachant bien, que cela ne convient qu'à une plume plus habile que la mième, joint que Votre modestie me le défend absolument. Tout ce que je puis faire, c'est adresser mes prières à Dieu, qu'il bénisse Vos louables desseins. Que le Laurier, qui doit bientôt couronner Votre tête soit un présage de Votre prospérité & de la moindre récompense que je Vous souhaite, étant avec un attachement invariable

MONSIEUR

*Votre très-humble serviteur
& très-fidèle Ami
HENRI GUSTAVE DE KNORRING.*